



DE DIGNITATE ET NE-
CESSITATE DIALECTICÆ.

Plato in Philebo.

DEi donum est, & immenso beneficio hominibus concessum, Dialectica. Est autem à Deo ad homines translata Dialectica per Prometheum quendam cum lucidissimo igniculo.

Hunc igniculum in Protagora interpretatur de Methodo, inquiens: Anxiè quærebat Prometheus, quid ad salutem conservandam homini conferret. Tandem igitur suffuratus est artificiosam sapientiam Vulcani & Minervæ unà cum igne, (Nam sine hoc neq; teneri illa, neq; prodesse potuisset) illamq; homini largitur.

Idem in Parmenide Dialecticam his verbis laudat:

Præclarus est & divinus impetus, quo ad discendas optimas artes incitatus es, sed reprime te ipsum aliquantisper, & exerce te magis in Dialectica, quæ multis falsò videtur inutilis & inanis garrulitas: Idq; facies, dum adhuc juvenis es. Quod si neglexeris, semper te veritas effugiet.

Idem in Phædro.

Nemo erit dicendi artifex, nisi & membra rerum rectè numerare, & in species partiri, & singulis convenientes definitiones attribuere norit. Hæc nemo sine multo negotio consequetur, quod suscipiendum est à sapiente, non ut dicendo & agendo hominibus gratificetur, sed ut piè sua facultate Deo grata dicat & faciat.

Cicero in 3. de Finib.

Ad eas virtutes, de quib. disputatum est, Dialecticam etiam adjungunt (*Stoici*) & Physicam: Easq; ambas virtutum nomine appellat: Alteram, quòd habeat rationem, ne cui falsò assentiamur, nève unquam captiosa p̄babilitate fallamur, eaq; quæ de bonis & malis diceremus, ut tenere tueriq; possimus.

Nam sine hac arte, quemvis arbitramur à vero abduci falliq; posse. Rectè igitur, si omnib. in reb. temeritas ignorantiaq; vitiosa est, ab his ea, quæ tollit hæc, virtus nominata est.

Idem in 5. Tuscul.

Sequitur tertia, quæ per omnes partes sapientiæ manat &